

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



24  
COLLEGII SECUNDI  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO IX.

continens

ANTIΘΕΣIN ARTICULI IV.

DE JUSTITIA  
IMPUTATIVA.

*Proposita*

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergensi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

RESPONDENTE

M. JOHANNES RÜDENIO

Hildesia-Saxone.

*Habebitur in Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 17. Septembr.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.

COLLEGII SECUNDI  
In Augustanum Consistorium  
DISPUTATIO  
CONTINENS  
ARTICULI IV.  
DE JUSTITIA  
IMPUTATIVA.

Inclusa Electoralii Academiae Vitebergensis  
P R A E S I D E  
JACOBO MARTINI SS. Th.  
D. & P. Prof. Publ. Primario, Facult. Theol.  
Seniore, ac Temp. Acol. responso  
RESPONDENS  
M. JOHANNES RÜDENIO  
Hildesheimensis  
Habetur in Auditorio Collegii Vitebergensis  
Ad diem 17. Septembris.

WITTEBERGAE  
Typis Hieronymi SALOMONIS AVERBACH  
ANNO MDCXXIX.





Continuatio.



ostquam disputatione præcedente absolvimus priorem partem questionis secundæ Becani *de Justitia inherente*: Sequitur, ut ad posteriorem, quæ *de Justitiâ imputativâ* disputat, nos accingamus. Ubi duo fecit Becanus: primitus Adversarii sui sententiam exponit: tum illam ordine, suo more examinat & refutat. Ut hætenus, sic & in hac Disputatione præcuntem Jesuitam sequemur.

THESES. I.

PRIMUM Adversarii sui sententiam proponit Jesuita. his verbis. §. II. *Hætenus de Justitia inherente, quâ interiorius renovamur, & novâ creatura efficimur. Sequitur altera pars de justitia imputativa, de quâ Calvinus tria docet. Primo justitiam Christi vocari imputativam, quia nobis imputatur: Imputari autem nobis, quando eam fide apprehendimus. Secundò, hæc ipsa justitia, & non alia, coram Deo nos justificari & justos censeri. Tertiò, hæc Christi justitiam, quâ justî efficimur, non esse increatam sed creatam; nec habitualem sed actualem; nempe ipsam Christi obedientiam, quâ se morti obtulit, & legem Dei implevit.*

II. Sententiæ huic per omnia subscribimus. Justificamur enim sola Justitiâ Christi, nobis per fidem imputatâ: quæ verò non est ipsa Dei essentialis justitia, ut error hic *Andree Osiandro* tribuitur, sed per Christum acquisita, hoc est (ut rectè interpretamur) Christi obedientia, quâ se morti obtulit, & legem Dei implevit.

III. De hinc progreditur Becanus ad sententiæ hujus errores monstrandos & refutandos: Et initium facit §. 12. *Sed errat Calvinus. Primò, quia jam ostensum est infundi nobis justitiam inhaerentem, qua intrinsecus justi constituimur: Ergo falsum est solâ Christi justitia nos justos censerî. Hoc argumentû Calvinus eludere non potest. Nam verba illius, quæ paulò antè citavi sic habent: Nunquã reconciliamur Deo, quin simul donemur inhaerente justitiã. Ex quibus ita concludo; sicut ab albedine inhaerente revera albi efficimur, ita à justitia inhaerente revera justi efficimur. At Calvinus concedit justitiam inhaerentem juxta verba citata: ergo concedit per eam nos revera justos effici. Ergo repugnat sibi ipsi, cum alibi ait, sola Christi justitia nos justos effici.*

IV. Primum sic vult argumentari Becanus: quibus infunditur justitia inhaerens, ut eã intrinsecus justi constituantur, illi non sola Christi justitiã justi censentur: Atqui omnibus, qui justificantur, infunditur justitia inhaerens, ut ea intrinsecus justi constituantur: Ergo Nulli, qui justificantur, sola Christi justitiã justi censentur. Negamus minorem. Et licet gloriatur Jesuita, eam jam ostensam esse; tamen id ipsum quoque pernegamus; quandoquidem ex nostris refutationibus contrarium in aprico est.

V. Deinde quod attinet sententiam Calvinî, quã etiam minorem probare conatur; respondemus, aut Calvinî mentem eam esse, quam ipsi tribuit Becanus, quod justitia illa inhaerens simul cum applicato merito Christi donetur, ut justificandum actu justum efficiat, atque sic propter causandi necessitatẽ ratione justificationis: vel hanc ejus esse sententiam: quod Fides non detur salvifica, neque applicari possit justitia Christi per fidem quin simul cum fide justificante infundatur, sive ipsum statim comitetur vel sequatur justitia inhaerens, & sic propter consequentiã necessitatem. Si illa est mens Calvinî, eam falsam, & æquẽ, ut Pontificiorum rejiciendam esse, statuimus: Si autem hoc velit; vera est, & frustra à Becano allegatur: & per consequens frustra quoque contra illum subsequenti

quenti argumento concluditur: *Justitia inhaerente nos justos effici.* Non enim ut albedo albo, sic justitia justo inest.

VI. Jesuita §. 13. pergit hoc modo quaerendo *Secundo quero ex Calvino, an ullus locus in scriptura inveniri possit, qui asserat Christi justitiam nobis imputari, seu nostram censi? certe non potest; Scio, quaedam produci; sed nihil ad hanc rem.* Ac primum ob-  
fici solet illud Rom. 4. v. 5. *Credenti in eum qui justificat impium reputatur fides ejus ad justitiam; sed frustra.* Nam aliud est fidem, quae in nobis est, imputari nobis ad justitiam; aliud justitiam Christi quae extra nos est, imputari nobis ad justitiam. Illud prius asserit Paulus, hoc posterius non asserit. Quid porro sit, fidem, quae in nobis est, reputari nobis ad justitiam, patet ex scopo Apostoli. Vult in illo capite probare, non ex operibus sed ex fide hominem justificari apud Deum. Hoc inter cetera probat exemplo Abrahami, cui non opera sed fides reputata est ad justitiam. Igitur haec tria, quae saepe occurrunt in Apostolo, pro eodem sumuntur; *Non ex operibus, sed ex fide justificatur homo. 2. Fides justificat, non opera. 3. Non opera, sed fides reputatur ad justitiam.* Hinc apparet, quam frivolum sit argumentum Calvini, cum sic colligit: *fides imputatur ad justitiam, Ergo justitia Christi nobis imputatur.* Perinde ac si dicat *Fides justificat: E. justitia Christi nobis imputatur.* Aut ex fide justificatur homo; ergo justitia Christi nobis imputatur. *Haec consequentiae vanae sunt.*

VII. Quod ergo primam quaestionem attinet, *an ullus locus in scriptura inveniat, qui asserat, Christi justitiam nobis imputari sive nostram censi:* Respondemus 1. phrasin hanc, *justitiam Christi nobis imputari*, per se alienam esse à scriptura dicere non audet ipse Becanus. Fatetur enim §. 15. Omnino concedendum esse *justitiam Christi nobis imputari*; sed non in sensu illo, quem nos defendimus, ut nimirum Christi justitia censeatur nostra: Sed quia Christus sua passione pro nobis satisfecerit Deo Patri, & impetraverit remissionem peccatorum, & omnia dona gratiae & justitiae inhaerentis: & sic passio Christi nobis imputetur: Ergo non amplius de phrasi, sed si-  
gnificatione phraeos est disceptandum.

VIII. In quo dissentit ab aliis sui ordinis, pontificiae doctrinae pro pugnatoribus. Nam Sanderus lib. 5. cap. 1. nobis litem

movet de ipsa *imputandi* voce, inquit: *protestantes ut novam doctrinam & rem novam, ita & novum in hac causa verbum, ad eam rem significandam excogitarunt, quo in hac causa non usus est Apostolus. Non enim dixit, justitiam credentibus imputari, sed potius putari, seu aestimari: neq; enim composito sed simplici verbo usus est: scil. λογίζεσθαι, non ἐδικαυεῖν.* Aliud autem est, inquit, *putare aliud imputare.* Semper putamus de re, sicuti ea nobis videtur esse; imputamus aliquando secus, quam esse illam novimus. Quod si Paulus non temerè sed Spiritus S. ductu scripsit, cum ille inter *putare & imputare* tam significanter discreverit, ut alio atq; alio verbo rem utramq; expresserit quis nunc audebit ibi legere *justitiam imputatam*, ubi Paulus non nisi *putatam* scripserit? Confirmat ex Mose: apud quem in fonte Hebræo non legimus credere illud Abraham reputatum illi ad justitiam: sed reputatam illi justitiam ut dubitari non debeat, quin ipsum credere sit ipsa justitia, quæ credenti tribuitur. Adfert illud ex tertio ad Romanos, ubi cum Paulus ageret de justificatione nostra per fidem; usus est verbo eodem λογίζομεθα: ubi Latinus interpres, *Arbitramur*, hoc est, justissimam rationem iniimus, cum iudicio colligimus, existimamus, censemus: non verò rectè diceretur, *Imputamus hominem justificari per fidem*; at reputamus, non malè. Ergo dicendum est, non magis hoc loco vertendum fuisse, imputatum est Abrahæ ad justitiam, quam imputamus hominem justificari per fidem.

IX. Sed neglexit hoc Becanus, existimans *λογουαχίαν* non valde dignam esse Theologo. Nos interim (ut aliquid respondeamus) si Græcè ageremus, nullo verbo libentius uteremur, quàm illo, quo prudentissimè usus est Paulus: atque sic ad corvos abiret tota hæc disputatio: Nobisq; perinde esset, si quis *putare* verteret, si *reputare*, si *deputare*, si etiam *aestimare*. Interim cum Latine agamus, non possumus ex ejus consideratissimè dispositâ oratione aliud quicquam elicere, quàm quod significamus, cum Græcum verbum exprimimus *imputare* potius, & quidem multò aptius, quàm *putare* vel *deputare*:



*tare*: quodque nos non primi facimus, sed vestigia prementes: veteris interpretis, ita illud ipsum λογίζεσθαι vertentis: *Ei qui operatur, mercede & λογίζεται, non imputatur, secundum gratiam, sed secundum debitum. Beatus vir, cui & μη λογίσθαι non imputabit Dominus peccatum. 2. Tim. 4. μη αὐτοῖς λογισθῆναι ne illis imputetur.*

X. Et si vel maximè concedamus, apud Latinos aliud esse *putare*, aliud *imputare*: inde tamen Græcæ linguæ nihil præjudicabitur, dum constet, sæpe idem esse λογίζεσθαι, & *imputare*. Atque hoc quando certum est, ut est: non itaque semper idem erit λογίζεσθαι, & *putare*: quod nobis quidem nunc satis est. Vim verò compositi ἐλογεῖν habere λογίζεσθαι & *imputari* quoque significare, & quidem tum, quando non absolutè sed addito dandi casu (λογίζεσθαι τινι) ponitur, sciunt, quicumque Græcè non sciunt nihil. 2. Cor. 5. v. 17. μη λογίζομεν αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν: *Non imputans illis peccata sua.* Ubi sanè verbum λογίζεσθαι nequaquam *putare* significare potest, sed *imputare* Gregor. in Maccab. τὰ τῶν παίδων τῶ πατρὶ λογίζεσθαι τῶν ἐνομῶν τῶν καὶ δικαιοσύνην, *patri tribuere, &c.*

XI. Nec juvat vox Hebræa. Nam שׂוּן non tantum *putare* est, sed *cogitare* quoque, *excogitare*, Jer. 49. v. 30. Item *imputare*, *reputare*, & *estimare*. 2. Sam. 19. v. 19. -לֹא יִשְׁבֹּחַ לֹא נִשְׁבַּח Ne imputet mihi Dominus meus iniquitatem. 1. Sam. 1. v. 13. הַבְּשִׁימָה Et reputavit eam pro ebria. Num. 18. v. 27. Et imputabitur vobis. Quare, etiam Gen. 15. & *reputatum* vertamus & *imputatum*? aut cur non dubitari debeat ipsum credere esse ipsam justitiam? imò si ipsa fuisset justitia, cur oportuit aut *imputari*, aut *reputari*, aut denique *putari* esse Abrahamo justitiam? Quanquam hæc quidem vis in Paulo est. Si enim Hebraicè aliud est *justitiam putari*, quàm *ad justitiam putari*; nullo jure, nullo prætextu Paulus excusabitur; qui reddidit non ἐλογισθῆναι δικαιοσύνην, ad Sanderi mentem; sed ἐλογισθῆναι εἰς δικαιοσύνην.

XII. Rem ipsam ergò quod spectat, illam in scriptura haberi, & hætenus demonstratum est, & in subsequentibus demonstrabitur pluribus. Sic ergò procedimus: si justificamur; aut per in hærentem, aut per imputatam justitiam justificamur:

Sed

Sed per imputatam justificamur : Ergo non per inhærentem.  
Major distributiva est certa. Non enim potest dari tertium  
membrum. Minor reverà probatur loco Paulino, à Becano al-  
legato. Rom. 4. v. 3. *Quid Scriptura dicit? Credidit Abraham,*  
*καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην & imputatum est ei pro justitia.*  
*Atqui ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratiâ, sed ex debi-*  
*to; ei verò, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium,*  
*imputatur fides sua pro justitia &c.* En manifestè hic habemus,  
1. *Imputatam justitiam* : ( ne amplius sibi quis imaginetur phra-  
sin à nobis factam esse ) 2. ejus naturam definitam, cum dica-  
tur *imputari absq; operibus*, hoc est, non operanti. 3. Habemus &  
subjectum, quod per justitiam imputativam justificatur, judi-  
catum, qui est *impius*. Ubi vis discretiva notanda est. Non e-  
nim omnis justificatio sit impii justificatio, sed quædam etiam  
justi. Dev. 25. v. 1. *justificabitis justum & maleficabitis.* ( Sic He-  
braicè Latino verbo loquamur ) *malum*. 1. Reg. 8. v. 32. *justifi-*  
*cansq; justum.* Psal. 82. v. 3. *Egenum & pauperem.* Matth. 11. v. 19.  
*justificata est sapientiâ à filiis suis.* Psal. 51. v. 6. *Ut justificeris in*  
*sermonibus tuis.*

XIII. Patet inde, quod justificatio pii & impii in eo dis-  
cernatur, quod ille justificatur per inhærentem justitiam : hic  
vero non. Iam a. nemo justè justificari potest, nisi ipsi justitia ve-  
rè & realiter tribuatur : Ergò quando impius justificatur, ipsi  
justitia tribuatur verè, necesse est. Quia autem propriâ & in-  
hærente caret, ( est enim impius & injustus ) ergo necessum est,  
ut aliena & imputata justitia justificetur : cum ( ut demonstra-  
tum ) tertia non detur. Hinc porrò, imputata & aliena justi-  
tia; aut est Christi Dei & hominis; aut est nudi hominis, qui  
simul Deus non est. Non hujus : Nam omnis homo mendax  
& peccator : peccator autem ut peccatorem non quit redime-  
re, sic neq; justificare. Quod enim quis non habet, alteri non  
communicabit : Ergo manet, quod per imputatam justitiam  
Christi justificemur.

XIV. Et hæc argumentatio non frustra est, ut ineptit Be-  
canus. Dicit, *aliud esse, fidem, quæ est in nobis, imputari nobis, ad*  
*justi-*

justitiam; aliud justitiam Christi. Quæ est extra nos, imputari nobis ad justitiam: Illud asserere Paulum: hoc posterius non asserere. Sed notetur: quòd Paulus vers. 5. cap. 4. dicit: Impio imputatur fides sua ad justitiam: Et sic fidei tribuit imputari ad justitiam; idem tribuit etiam πιστεύειν Θεῷ vers. 3. Credidit Deo, & in eum, qui justificat impium vers. 5. & imputatum est ei ad justitiam. Et fides hæc dicitur Rom. 3. v. 22. Fides Iesu Christi. Deinde aliquid alicui imputari ad justitiam, est aliquem per illud justificari, ut patet ex capitis hujus quarti v. 2. 23. Ergo ut hoc loco credere sive fides dicitur imputari ad justitiam: Sic Rom. 3. v. 24. Justificari per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: hoc est, per meritum Christi: Et ut hic Rom. 5. v. 2. & 5. & expressè v. 6. Deum imputare justitiam absque operibus: Rom. 3. v. 24. justificari hominem gratis per gratiam illius, cujus naturaliter destituimur gloriâ, id est, Dei v. 22. 23.

XV. Si ergo fides, ut qualitas nobis inhærens nos justificat, & hæc (ut quidem explicat Becanus) mens sit Apostoli, tunc sibi pessimè contradicit. Nam omnis fides, ut est inhærens qualitas, est habitus virtutis. Unde sic argumentamur: Quodcumque ut qualitas nobis inhærens; nos justificat, id ut opus nos justificat: Atqui fides salvifica ut qualitas nobis inhærens, (juxta explicationem Becani) nos justificat: Ergo fides salvifica (juxta explicationem Becani) ut opus nos justificat: Major est certa, quia ut se hæc qualitas exerit in ἐνεργεῖαν, nempe in τὸ credere (si justificat) justificat: Et qualitates ejusmodi inhærentes sunt habitus virtutis: Nullus autem habitus virtutis est, quin operans sit, & maximè in adulto, cujusmodi Abrahamus erat. Hinc rursus sic argumentor: Abraham (quia fide) opere justificatus est: Abraham sine opere justificatus est, Rom. 4. 2. Ergo quidam qui sine opere justificatus, opere justificatus est. Manifesta contradictio, quæ mendaciū ac fraudem manifestam involvit, quæ sanè Spiritui S. vel ipsius organo, Paulo, non tribuenda; sed potius falsæ interpretationi Becani: corrigat ergo suam perversam interpretationem Jesuita: aut mendacii ac contradictionis reum agat Spiritum S. & ejus Apostolum, sicque blasphemus maneat.

XVI. Nos ergò sic argumentamur: Qui ex pressè docet, quod nemo justificatur suis virtutibus ac operibus; is, quando dicit, nos justificari fide, non dicit, nos justificari fide, quatenus est nobis inhærens qualitas sive virtus operans: Atqui Apostolus Paulus expressè docet, neminem justificari suis operibus ac virtutibus. Ergo Apostolus Paulus quando dicit, nos justificari fide, non dicit nos eâ justificari, quatenus est nobis inhærens qualitas sive virtus operans. Major est certa. Alias enim sibi contradiceret. Minor jam probata est Rom. 4. v. 6. Deus imputat justitiam absq; opere, v. 4. *Ei, qui non operatur, sed credit, in justificatorem, imputatur fides ad justitiam.* Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis non justificatur omnis caro in conspectu ejus.* Gal. 2. v. 16. *Justificamur ex fide Christi, & non ex operibus legis.*

XVII. Deinde qui docet Deum imputare justitiam absq; operibus; ille justitiam imputatam ab operibus, proindeq; à fide, ut qualitas & opus est, distinguit, & hominem operibus & sic fide, quatenus qualitas & opus est, justificari negat: Atqui Paulus docet, Deum imputare justitiam absq; operibus; E. Paulus justitiam imputatam ab operibus, proindeq; à fide, ut qualitas & opus est, distinguit, & hominem operibus, & sic fide, quatenus qualitas & opus est, justificari negat. Majorem qui negat, solè in meridie negat. Minor est manifesta dictis thes. 14. allegatis.

XIIX. Tertio; Qui utrumq; dicit, per Fidem nos justificari, & per Christum & ejus meritum nos justificari: Is alio modo *trò justificare* tribuit Fidei: & alio modo Christo & ejus merito: Atqui Apostolus Paulus utrumq; dicit, fide & merito Christi nos justificari. Ergo *trò justificare* alio modo fidei, & alio modo merito Christi tribuit. Major est manifesta. Nam Fides est aliquid in nobis & est nostra: Meritum Christi est extra nos in Christo, & sic Christi. Minor probatur, Gal. 2. vers. 16, 17. Rom. 3. v. 24. *Justificamur gratis per illius gratiam per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, id est, per meritum Christi nobis applicatum.*

XIX. Diversitatem illam nobis monstrat Paulus loco jam allegato, Rom. 3. v. 24. & 25. Ubi omnes justificationis causas  
enume-

enumerat. Primum ponit causam efficientem, à quâ initio  
removet nostra opera dicens: *Gratis justificamur*: & statim ipsam  
exponit, addens *gratia illius*. Ergò unica nostræ salutis causa effi-  
ciens est, gratia & misericordiâ Dei. Deinde addit causam per  
quam justificamur, tanquam medium, *per redemptionem* (inquit)  
*quæ est in Christo Jesu*. Quâ nos docet Paulus, justificari nos qui-  
dem gratis respectu nostri, quatenus gratis sine nostro merito  
ac opere justificamur, nihil apud Deum merentes: respectu  
verò Christi intervenire pretium redemptionis: Hunc enim  
(inquit Paulus) proposuit Deus propitiationem, adumbratam  
nimirum per illud V.T. propitiatorium. Is enim solus iram  
patris suo pretioso sanguine placavit. Quia autem satisfactio  
extra nos est præstita, proindeq; extra nos & aliena manet, nisi  
certo modo apprehendatur & applicetur: Ideo & Apostolus  
quoque conjungit causam Instrumentalem sive mediam respec-  
tu nostri, nempe *Fidem*, quâ meritum illud una cum gratia  
Dei apprehendamus. Tandem quoque addit causam finalem,  
ob quam Deus voluerit quidem nos gratis respectu nostri, non  
tamen nisi perfectæ satisfactionis intuitu justificari, nempe ad  
ostensionem justitiæ suæ: Ut nimirum hoc modo justitiam su-  
am & assereret & testatam faceret. Cum enim Deus non tan-  
tùm misericors sit, sed etiam justus: exercere quidem miseri-  
cordiam suam erga nos voluit, sed illæsa suâ justitiâ, ex immu-  
tabili lege suâ peccata puniente.

XX. Quare sapientia divina hunc justificationis hominis  
peccatoris modum invenit, quo justitiam exerceret in miseri-  
cordia, & misericordiam in justitia; ut enim Deus miseri-  
cordia suâ motus, ad hoc misit filium, ut per omnia supplicio suo  
ac obedientiâ justitiæ divinæ satisfaceret, & sic sumendo à filio  
supplicium, justitiæ opus in misericordiâ exercuit: sic rursus  
misericordiæ opus in justitia exercet, quando intuens perfectâ  
satisfactionem, legi à filio præstitam, fide imputatam, gratis  
hominem justificat. Quod enim filium ad expianda peccata mi-  
sit, simulque gratis hominem justificat, exercitium miseri-  
cordiæ est, sed peractum in ipsa justitiâ simul in hoc opere intuen-

ente meritum Christi, ac in eo quiescente, nec denuo solutionem & satisfactionem à justificante poscente. Hic verò intuitus ut fieri posset, opus erat applicatione satisfactionis Christi, quæ est per fidem.

XXI. Manifestum ergò est & justitiam sive meritum Christi, justificare homines & Fidem, sed modo diversissimo: meritum sive justitia Christi respectu sui ipsius per & ex se suaque propriâ virtute & efficacia, & sic principaliter: Fides verò, quia per illam meritum & justitia hæc applicatur; nec respectu sui, non ex se, non per se, non sua virtute, non principaliter: sed respectu meriti Christi, per ipsam applicati, & sic respectu termini ad quem Fides in justificatione respectum habet. Ergò duntaxat instrumentaliter; haud secus ac manus vulnus sanare dicitur propterea, quòd Emplastrum admoverit & applicaverit: quæ interim nullam in se sanandi virtutem habet, neque etiam per participationem in se recipit, sed tota denominatio hæc fluit ex forinsecâ applicatione, relictâ omnimodâ virtute in Emplastro, quod applicatum, & vulnus regit & sanat. Relativè igitur sanare dicitur manus, nempe in illâ applicatione; sic quoque fides.

XXII. Quare fides, ut est qualitas vel opus, neque meretur, neq; impetrat, neq; inchoat justificationem. Si enim hæc efficacia fidei esset tribuenda tum illa præcederet justificationem & ratione & tempore: quod nullo modo concedi debet. Est namque Fides, ut justificans, per se pars justificationis: Illa enim ipsâ actione, quâ Spiritus S. in cordibus nostris operatur fidem & infundit, justificatio perficitur. Atque hæc causa est, quare fidem dicamus relativè justificare, id est, quia Dei misericordiam & Christi meritum habeat peculiare objectum, cui innitatur; hæc verò misericordia & hoc meritum propriè justificet: Haud secus ac dicitur super fidem Petri ædificata est Ecclesia relativè, id est, super Christum, quem fides Petri erat confessa; quomodo ipse *Bellarmin. cap. 17. lib. 1. de justis. in alter. arg. Christum* (ut de ipso agitur *1. Cor. 3. v. 11.*) interpretatur fidem in Christum ex *August. 11. lib. de fide & operibus c. 16.*

23. Quan-

XXIII. Quando verò dicimus fidem esse quasi partem justificationis, non eo negamus, quod alio respectu se habere rectè dicatur quasi instrumentum. Est enim modus quidam justificationis nostræ. Et in instrumentis & modis ea etiam numerari solent; Quæ, etiamsi rem neque inchoent, neque perficiant, ei tamen exequendæ adhibentur.

XXIV. Manifestum est ex hæcenus disputatis, quod quidem meritum & justitia Christi sit extra nos; quia tamen fide nobis applicatur & imputatur, sit nostra, & sic Fides justificat, qua meritum Christi & ejus justitiam nobis applicat, sive quia est applicatio justitiæ Christi, quæ revera & per se justificat. Imputatur itaque fides ad justitiam Christi: nempe fides in Christum sic imputatur: I.e. illa ipsa fiducialis applicatio Justitiæ Christi, h.e. eadem ipsa imputata justitia Christi nos justificat.

XXV. Tandem ex *Epist. ad Rom. 8. v. 4.* Ita argumentamur: In quibus jus legis impletum est; iis totius legis impletio à Christo præstita, hoc est, justitia Christi, obedientiâ suâ acquisita, imputatur: Atqui iis, qui sunt in Christo Jesu, *Rom. 8. v. 7.* jus legis impletum est, *v. 4.* Ergò iis, qui sunt in Christo Jesu, totius legis impletio, à Christo præstita, hoc est, justitia Christi acquisita, imputatur. Minor est satis probata. Major quoque, certissima est. Nam jus legis impletum est quidem in illis, sed nequaquam ab illis, sed à solo Filio Dei, ad hoc misso & conformato carni, peccato obnoxia. *v. 3.* Quia ergo ab ipsis impletum non est; sequitur, quod impletio, à Christo facta ipsis imputetur, cum tertium non detur.

XXVI. Atque sic patet, phrasin hanc, *nobis justitiam Christi imputari*, non esse alienam à scripturis: cum Fides imputari dicatur, & Christus nobis imputari intelligatur: ut super fidem Ecclesiam ædificari, est super Christum eam ædificari. Nostra autem est justitia Christus, quia nobis factus est justitia *1. Cor. 1. v. 30.* Et quotquot baptizati sunt, Christum induerunt, *Gal. 3. v. 27.* Et Paulus nos monet indui Domino Jesu, *Rom. 13, 14.* Et qui edunt carnem Christi, & sanguinem Christi bibunt, hoc est, qui credunt in ipsum, illi in se ipsis vitam habent, *Iohan. 6. vers. 53.* Quia in ipsis Christus manet, & ipsi in Christo, *v. 56.* & vivent per Christum, *v. 57.*

XXVII. Quid? quod ipsemet Bellarminus, Becano in os  
contradicat lib. 2. de justis. cap. 10. concedens, quod secundum  
scripturam rectè dicatur, justitiam Christi & merita nobis im-  
putari, nobis in justificatione donari & communicari, ita ut  
nostra satisfactio & justitia dici possit, quando in respons. ad arg.  
primum secundà in hæc verba definit: Deinde dicitur Christus justitia  
nostra, quoniam satisfecit patri pro nobis, & eam sanctificationem ita no-  
bis donat, & communicat cum nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia  
dici possit. Nam etiamsi per justitiam nobis inherentem verè justii nomi-  
nemur & simus; tamen non per eam satisfacimus Deo pro culpis nostris &  
pœna aeterna: Sed est illa justitia inherens cum remissione culpæ & sempit-  
ernæ pœnæ effectus satisfactionis Christi, quæ (ut docet concilium Tri-  
dentium sess. Sexta) nobis in justificatione confertur & applicatur. Et hoc  
modo non esset absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi justitiam  
& merita, cū nobis donentur & applicentur, ac si nos ipsi Deo satisfacissemus.

XXIIX. Ist hæc omnia orthodoxa sunt & Sacræ Scripturæ  
consentanea, licet à Becano dissentiant. Expressis n. hisce verbis  
concedit Bellarminus, Christi justitiam nobis imputari ac per  
imputationem & donationem nostram fieri, quod contra ex-  
pressè negat Becanus. Quæ verò in illa responsione sequuntur,  
non ex scriptura, sed ex sua hæresi depromuntur, nempe hæc i-  
psa: Modo non negetur esse in nobis præterea justitiam inherentem, eamq;  
veram & absolutam esse justitiam, cui justo Dei judicio non debetur pœna  
sed gloria.

XXIX. Hæc, inquam, non ex scriptura, sed ex hæresi pon-  
tificia derivantur: nihilominus manet, quod concedat Bellar-  
mino Christi justitiam nobis imputari, donari, communicari  
in justificatione; licet neget illam solam justificationem absol-  
vere. Nam licet hoc falsum sit, illud tamen est verum, & sep-  
tentia Becani contradicit.

XXX. Deinde non etiam negamus in justificatis inesse in-  
herentem justitiam, quâ justii pronunciamur, sed non coram  
Deo, ita ut propter illam DEO placeamus, & per illum DEO  
reconciliemur, & sic justii constituamur. Id enim omne fit in no-  
bis propter communicatam & applicatam justitiam Christi:  
Ergò per illâ solâ primùm in conspectu Dei justii constituimur  
& Pro-



& pronunciamur : Sic deinde constituti, opera nostra, justitia, sanctitas &c. Deo placent. Et certum est, quod non pœnam sed gloriam consequentur in vita æterna, ipsa vero vitam æternam non merentur.

XXXI. Videamus nunc quid Becano sit *fidem nobis imputari ad justitiam*: nempe, non ex operibus sed ex fide hominem justificari apud Deum. Atqui hoc ipsum est, quod volumus. Quia enim opera & fides in hoc negotio opponuntur: Ita ut expressè dicatur: *Hominem justificari fide sine operibus*, proindeque opera omnia & simpliciter ex actû justificationis excludantur, & rejiciantur, & sola Fides relinquatur, sequitur quòd fides in censum operû numerari nequaquã possit, sed ex illo planè eximi debeat: proindeq; verum sit, nos fide justificari; sed non fide ut opere; Sic verum sit, fidem nobis imputari ad justitiam, sed non fidem ut opus nobis ita imputari, sed fidem ut relationem, & quatenus respiciat terminum suum, meritum nimirum sive Justitiam Christi, haud secus, inquam, ac Ecclesia dicitur super fidem Petri ædificata, nempe super Christum, quem Petrus sua fide intuebatur: Sic fide justificamur, id est, Christo, quem fide apprehendimus, ejusq; justitiam vera fiducia nobis applicamus.

XXXII. Concedimus quoque illa tria (si rectè conferantur) pro eodem sumi, vel omninò unum ex altero inferri, 1. Non ex operibus, sed ex fide justificatur homo. 2. Fides justificat, non opera. 3. Non opera, sed Fides reputatur ad justitiam. Atq; hoc concessio, nequaquam est frivolum argumentum, quo colligitur: *Fides imputatur ad justitiam. E. Justitia Christi nobis imputatur*: Uti neq; altera consequentia: *Fides justificat: Ergo justitia Christi nobis imputatur*. Et neq; tertia illatio: *Ex fide justificamur: E. justitia Christi nobis imputatur*. Hæ, inquam, consequentiæ, Becane, omnes nequaquam vanæ, sed solidæ & certissimæ sunt. Nam propterea Fides nobis imputatur ad justitiam: Quia fide nobis justitia Christi applicata est: Et Fides justificat, quia meritum CHRISTI apprehendit, & sic non ex se & per se, sed quia respicit terminum, illumque subjecto credenti applicat, nempe Christi justitiam. Ergo hoc duntaxat

erat

rat respectu & applicatione justificare dicitur, quæ alias nullo modo ac ratione virtuteve ex se justificare posset: Ut ita non propter fidem ut talem, sed præter id, quod fides apprehendit, justitia imputari dicatur.

XXXIII. Progreditur Becanus ad aliam nostram objectionem §. 14. inquit: *Objicitur & illud Rom. 5. v. 19. Per unius obedientiam justi constituuntur multi. Hinc consici putant, ipsam Christi obedientiam, nostram esse justitiam; quia scilicet per illam nos justi constituimur. At non rectè. Quod probo ex antithesi, quâ utitur Apostolus. Opponit enim obedientiam Christi, inobedientiæ Adami: & sicut per hanc injustos, ita per illam justos constitui nos asserit. At vero per inobedientiam Adami, non formaliter, sed efficienter & meritorie constituimur injusti: Ergo similiter per obedientiam Christi, non formaliter, sed efficienter, & meritorie constituimur justi. Hinc sumo novum argumentum contra Calvinum. Nam sicut Adami per suam inobedientiam meritis est posteris, qui ex illo carnaliter nascuntur, ut singuli in se ipsis contrahant peccatum originale, & in se ipsis injusti ac peccatores existant: ita è contrario Christus per suam obedientiam meritis est omnibus, qui per illum spiritualiter renascuntur, ut singuli in se ipsis sanctitatem & justitiam participent, quâ in se ipsis & non tantum extra se, justi & Sancti censeantur. De hac re vide Augustinum lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 9.*

XXXIV. Non ergo concedit Becanus, nos ex allegato dicto nostram sententiam probare posse, cum inde potius contrarium inferat hoc argumento: Ut per inobedientiam Adami dicimur constitui injusti; Ita per obedientiam Christi dicimur constitui justus: At per inobedientiã Adami dicimur injusti constitui efficienter & meritorie, non formaliter: E. per obedientiã Christi dicimur constitui justus efficienter & meritorie, non formaliter. Major probatur: quia inobediẽtia Adami & obedientia Christi opponuntur: oppositio v. debet fieri secundum idem.

XXXV. Respondemus. 1. Argumentum non esse rectè contra quæstionem directam, ei que oppositum, ac proinde laborare vitio sophistico, ignoratione Elenchi. Quærit enim Becanus, *an possimus ex scriptura demonstrare, quod Christi justitia nobis imputetur.* Nos id facimus ex Epist. ad Rom. 5. v. 19. In hunc modum

modum argumentātes : Ut per inobedientiam Adami dicimur  
injusti constitui, ita per obediendam Christi dicimur constitui  
justi. At per inobedientiam Adami injusti constitui dicimur,  
quia injustitia illius nobis imputatur : Ergo etiam per obedi-  
entiam Christi justus constitui dicimur, quia obedientia ejus no-  
bis imputatur. Hæc erat quæstio nobis probanda & probavi-  
mus. Quid Becanus? Regerit, non sequi ex allegato dicto,  
quod obedientiâ Christi formaliter justus constituamur. Atqui  
verò quæstio hæc distincta est, ab illa, quam Becanus nobis ob-  
jecit. Malè ergo & Sophisticè disputat.

XXXVI. Deinde concedimus in minore utramq; & in-  
obedientiam Adami & obedientiam Christi constituere nos  
& efficienter & meritoriè injustos & justos. Id enim nunquam  
negavimus. Hoc verò pernegamus constanter, utramq; nobis  
non imputari. Quid? audacter dicimus, non posse nos meri-  
toriè efficere sive injustos sive justos, nisi prius imputetur:  
cum, quæ sive justitia, sive injustitia nobis non imputatur, nullo  
modo nostra dici possit. Sunt enim actus singulares & indi-  
vidui, ideoq; proprii illorum, à quibus sunt, proindeq; perso-  
nales. Actus autem proprios & personales esse communes, ab-  
surdum & contradictorium est. Necessum itaq; est imputari:  
hæc enim communicatio proprietati non opponitur, omnino  
ergo negandum est, posse posteros fieri injustos injustitia inhæ-  
rente, per unum hominem, nisi hujus unius hominis injustitia  
posteris imputetur. Ut ergo realiter imputata est Adami in-  
justitia posteris, & ab eo injusti omnes homines sunt constitu-  
ti: Sic Christi obedientia reverà imputatur credentibus & ab  
eo omnes fideles realiter justus constituuntur. Atq; illud pro-  
pterea quia Adamus is fuit in quo universum genus humanum  
censebatur esse per naturam: Hoc propterea quia Christus is  
est, in quo universa multitudo credentium sive fidelium est  
per gratiam.

XXXVII. Ubi simul in similitudine hæc maximam esse  
dissimilitudinem apparet, quæ diligenter notanda est: nempe  
quod fuimus in Adamo labente per naturam: in Christo nos  
erigen-

erigente per gratiam. Ibi igitur vitium Adami imputatum simul per naturam est in posteros propagatum, congenitum nimirum mediante naturâ, tanquam *πρώτῳ* suo *δευτικῶ*, cum non aliam naturam cum posteritate posset communicare, quàm ipse haberet; proinde inhærens simul malum non potuit non in posteros propagari, sicq; factum, ut non tantum per Adamum facti sint omnes peccatores, sed etiam in ipso peccasse dicantur. Hic verò in justificatione longè se res aliter habet; illa non fit per subjecti iusti propagationem (Non enim Christus ex se generat justos, ut Adam ex se genuit peccatores) sed illa iusti procreatio fit per spiritualem generationem quæ est sine naturali generatione, & sic sine mediante subjecto & *πρώτῳ* *δευτικῶ* iustitiæ, sed perficitur imputatione. Hinc quidem dicimur in Christo nos justificari, sed non simul justificationem in Christo operatos esse: quandoquidem, inquam, iustitia illa, qua iusti renunciamur, non propagatur per naturæ, cui inhæreat, propagationem, sed per spiritualem, mediante fide, imputationem.

XXXVIII. Sed hæc à Paulo allegato dicto considerari negamus. Non enim conferuntur hic peccatores & iusti in proxima & formali causâ, quâ intrinsecus ita constituntur iniusti & iusti: sed ratione causæ primæ & efficientis: ut fit sensus, quæadmodum Adamus sua inobedientia effecit, ut tota ejus posteritas in peccatis conciperetur & nasceretur, ideoque naturâ essent peccatores & filii iræ: sic Christus sua obedientia effecit, ut omnes credentes, & sibi hanc obedientiam vera fide applicantes constituerentur essentq; gratiâ Dei iusti & filii gratiæ, atq; hoc est, quod Paulus dicit: *Tim. 4. v. 10 Quod Deus sive Christus sit servator omnium hominum maxime fidelium.*

XXXIX. Breviter: Paulus instituit collationem inter condemnationem & justificationem ratione primæ efficientis causæ ac originis: non ratione iustitiæ vel iniustitiæ, itemq; internatum formarum, sive ratione communicationis ac propagationis: ut contextus id satis evidenter evincit, & demonstrat.

**XL.** Sic ergo concludere debebat Becanus: ut per inobedientiam Adami & efficienter & imputative constituuntur iniusti: sic per obedientiam Christi efficienter & imputative constituimur iusti. Licet postmodum imputatio peccati & justitię sese habeat aliter in iniustis & iustis. Deinde, sicut Adam per suam inobedientiam meritis est posteris, qui ex illo nascuntur, ut ipsi contrahant peccatum originale, & iniusti & peccatores constituentur? Ita e contrario Christus per suam obedientiam meritis est omnibus, qui per illum spiritualiter renascuntur, ut singuli justitiam participant, qua revera iusti censeantur: servato tamen semper discrimine naturalis iniusti propagationis illius, & hujus spiritualis communicationis. Ibi in naturali generatione quia subjectum nempe natura humana vitiosa propagatur cum posteris, etiam ipsum vitium & iniustitia inherens propagatur & communicatur cum posteris: sic vero in spiritali regeneratione, hoc est justificatione, quoad subjectum ipsum, cui justitia realiter inest, nempe ipsa Christi sanctissima justissimaque natura non propagatur, nec effective cum renatis & justificatis communicatur, utique nec ipsa justitia, qua justificativerē iusti reputantur ac dicuntur, non potest eo modo & sic inherenter propagari & communicari; sed sine omni subjecti productione, quod alio fieri modo nequit, quam quem sacra scriptura definiit, nempe per realem & fiducialem imputationem.

**XL I.** Pergit Becanus §. 15. ad tertiam objectionem: *Tertio, inquit, obijciunt illud 1. Corinth. 1. vers. 30. Christus factus est nobis à DEO, sapientia, & justitia, & redemptio. Respondeo. Non queritur an Christus sit nostra justitia; sed, an justitia Christi sit nostra justitia. Illud prius fatemur cum Apostolo: hoc posterius negamus contra Calvinum. Ratio est, quia quo sensu dicitur esse nostra justitia, eodem dicitur esse nostra sapientia & redemptio: at non dicitur esse nostra sapientia & redemptio imputative, quasi per illius sapientiam & redemptionem fide apprehensam, efficiamur sapientes & redemptores: sed effective, quia scilicet nos redemit & sapientes fecit: ergo similiter non dicitur, esse nostra*

*stra justitia imputative, quasi per illius justitiam fide apprehensam  
fiamus justis; sed effective, quia scilicet nos justos effecit. Similes lo-  
cutiones sunt usitate in scripturis Psalm. 17. v. 1. Diligam te Domi-  
ne fortitudo mea. Et Psalm. 70. v. 5. Tu es patientia mea Domine. Et  
Psalm. 26. v. 1. Dominus illuminatio mea & salus mea. At quomodo  
Deus est fortitudo nostra, patientia nostra, illuminatio nostra, salus  
nostra? An imputatione? Minime; sed effective, quod alio loco expli-  
cat scriptura, cum ait; Psalm. 36. v. 39. Salus autem justorum à Do-  
mino. Et Johan. 1. v. 9. Illuminat omnem hominem venientem  
in hunc mundum. Et Psalm. 61. v. 6. veruntamen Deo subiecta est  
anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Et 2. Reg. 22. v. 38.  
Deus qui me accinxit fortitudine. Ergo eodem sensu Christus est ju-  
stitia & sapientia nostra, quia justitiam & sapientiam nobis im-  
pertivit.*

XLII. Distinguit ergo initiò Becanus inter has phra-  
ses: Christum esse nostram justitiam & Christi justitiam esse nostram  
justitiam, illam tanquam scripturæ consentaneam affirmat, hanc  
negat & rejicit; verum de discrimine hoc egimus supra Disp.  
7. th. 60. nec est cur actum agamus.

XLIII. Deinde sic argumentatur Jesuita: quo sensu  
Christus dicitur nostra justitia, eo sensu dicitur nostra sapien-  
tia & redemptio. At Christus non dicitur imputative nostra  
sapientia & redemptio, sed effective: Ergo similiter Chri-  
stus non dicitur esse nostra justitia imputative sed effective.  
Respondemus majorem laborare fallacia & vitio à dicto se-  
cundum quid, ad dictum simpliciter. Secundum quid quidem  
vera est. Nam ut effective est nostra sapientia & redemptio,  
sic quoque effective est nostra justitia. Nam non justificamur  
justitia Christi essentiali, sed obedientiâ ac morte sua acquisita,  
& sic effecta. Deinde quoque in ipsa justificatione Christus se  
effective habet, nobis impurans suam justitiam & sic justifi-  
cans: sed non tantum. Quando quidem justitiæ adhuc aliquid  
peculiare ascribitur in scripturis; quod de sapientia & redem-  
ptione non dicitur: nempe quod imputetur.

XLIV. Deinde major in loco allegato *1. Cor. 1. v. 10.* non fundatur, quando quidem inibi simpliciter asseritur quod Christus sit nostra sapientia, nostra redemptio & nostra justitia: neque additur an eodem modo an diversimodè: id ergo ex aliis locis est discendum & sumendum: quod quando facimus, tunc maxima se offert diversitas. Nam Christus est nobis factus *sapientia* in verbo, quatenus ipse λόγος & Orator cœlestis ex sinu Patris cœlestis Evangelium salutis, omnem patris voluntatem continens, revelavit, & enarravit *Job. 1. v. 18. Rom. 16. v. 25. Justitia* nobis factus est, sua indebita obedientia, legi præstita: Eò enim non sibi, sed nobis acquisivit justitiam, *Rom. 10. v. 4. Sanctificatio* (quam omisit Becanus) quatenus Christus suo sanguine nos abluvit, fide corda purificat, nec non dato Spiritu sancto in nobis initia sanctificationis in hærentis donat. *Redemptio*, partim profusione pretiosissimi sanguinis sui, & sic solutione sufficientissimi λύτης *Ephes. 1. v. 7. Col. 1. v. 14. 1. Tim. 2. v. 6. Hebr. 9. v. 15.* Partim in extremo die, *Luc. 21. v. 28. Rom. 8. v. 23. Eph. 4. v. 30.* Et sic Christus nobis est omnia, ut nos simus nihil, ut scriptum est; qui gloriatur, in Deo gloriatur, *Jer. 9. v. 23. 1. Cor. 1. v. 31.* Sunt autem modi illi diversissimi: licet verum sit, in genere illos omnes convenire, quod sint effectivi.

XLV. Nulla autem est consequentia, Christus, & ejus nobis acquisita justitia effectivè est nostra justitia. E. ejus nobis acquisita justitia non formaliter per justificationem fit nostra justitia. Quando quidem hæc est justitia nostra Evangelica, à Christo quidem præstita, à nobis autem fide apprehensa. Illo modo effectivè est à Christo: hoc modo formaliter est in nostra justificatione, & nos eâ formaliter sumus justii, in conspectu Dei: Non autem vel justificatores vel redemptores, ut crassissimè hallucinatur & ineptissimè argumentatur, imò pessissimè ac turpissimè nugatur Becanus.

XLVI. Atque sic liquet non tantùm effectivè, ut vult Becanus, sed effectivè simul & formaliter Christum, sive Christi justitiam esse nostram justitiam. Sic namque docet scriptura de justitia Christi, non ita de sapientia, de redemptione &c.

ut frustra ab adversario allegentur loca ex Psalmis, tanquam similia. Taceo, quod non eadem sit vis phrase *ων*: Christus nobis est factus, justitia, redemptio &c. Et Deus est nostra fortitudo, nostra salus &c.

XLVII. Ad summum! omnia hæc similia sunt, quod & quatenus effectivè pendeant à Deo & Christo. Quandoquidem & hoc modo à Christo esse nostram justitiam facile concedimus. Propterea aut Christi justitiam, quam credimus nostram fieri per fidem, præ cæteris allegatis beneficiis hoc peculiare non habere, ut nobis per fidem applicetur, nosque illa justii reputemur in conspectu Dei; id nullo illorum allegatorum exemplorum evincitur. Sed, inquam, hoc duntaxat probatur illorum inductione, justitiam à Christo nobis acquisitam cum cæteris in nos collatis beneficiis id habere commune, quod ut illa sit effectivè à Christo; alterum autem proprium ac peculiare, quod per fidem nobis imputetur, nulla consequentia inde derivata, negabitur.

XLIX. His expeditis, quærit porrò Becanus §. 16. *An nullo modo concedi possit, justitiã Christi nobis imputari posse.* Verba ejus sunt. *Hic queri potest an nullo modo concedi possit, justitiã Christi nobis imputari? omnino potest; sed nõ eo sensu quo adversarii id asserunt. Nam ex eorũ sententia ita justitia Christi nobis imputatur, ut per eã formaliter justii censeamur, quod hætenus refutatum est. At Catholicorũ sententia est, Christum sua passione pro nobis satisfacisse Deo Patri, & impetrasse remissionẽ peccatorum, & omnia dona gratiæ & justitiæ inherentiæ. Et hoc sensu passionem Christi, quia pro nobis facta est, nobis imputari, non quod per illam formaliter justii simus, sed quia ex merito & efficacia ejus donatur nobis gratia, sanctitas, & justitia inherens, quã Deo grati, sancti & justii constituimur. Hoc modo intelligendus est D. Bernhardus in Epistola 190. ad Innocentium, cum ait: Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit.*



XLI X. Ubi initio vertiginis spiritus in Bécano no-  
tandus est, qui id, quod antea præcisè negaverat, in scripturis ul-  
lum locum inveniri posse, qui asserat Christi justitiam nobis imputari,  
jam concedit ex causis tum veris, tum falsis. Nam verum est,  
Christum suâ passione pro nobis satisfacisse Deo Patri & im-  
petrasse remissionem peccatorum & omnia dona gratiæ & ju-  
stitiæ inhærentis: Verum quoq; est, passionem Christi quia pro  
nobis facta est, nobis imputari: Falsum contra est, hanc Chri-  
sti obedientiam & satisfactionem, in quâ ejus justitia acquisi-  
ta consistit, nobis vera fide non imputari, nosq; ea formaliter  
justos non esse vel censerî: ut & falsum est sanctitate & ju-  
stitia inhærente, ex merito & efficacia Christi nobis donata, nos  
coram Deo sanctos & justos constitui; uti contrarium hacte-  
nus sufficienter est demonstratum. Falsum denique est, de  
hoc modo justificandi Papistico allegatam Bernhaldi senten-  
tiam loqui. Quippe qui in eadem Epistola circa finem dicit:  
*Volo totis visibus humilem sequi Christum, cupio eum, qui dilexit me,  
& tradidit se ipsum pro me, quibusdam brachiis vicariæ dilectionis  
amplecti, sed oportet me & agnum manducare Paschalem. Nisi enim  
manducavero & carnem ejus, & bibero ejus sanguinem; non habebō  
vitam in me ipso. Aliud est sequi Jesum, aliud est tenere, aliud &  
manducare. Sequi, salubre consilium; tenere & amplecti solenne  
gaudium; manducare, vita beata. Caro enim ejus verè est cibus  
& sanguis ejus verè est potus: Panis est Dei, qui de cælo descendit, &  
dat vitam mundo. Quis statim gaudio sive consilio absq; vita? nempe  
haud aliud quàm pictura absq; solido: Ergo nec humilitatis exem-  
pla, nec charitatis insignia præter redemptionis sacramentum sunt  
aliquid.*

L. Vult ergo Bernhaldus nullum bonum opus sive et-  
jam virtutem inhærentem vel optimam Deo placere, nisi homo  
comederit & biberit carnem & sanguinem Christi; hoc est, in  
Christum crediderit, quæ sola commestio ipsi spiritualem vi-  
tam conciliet, à quâ postmodum spirituales motus, sanctitatis,  
justitiæ inhærentis &c. fluant. Et in sermone in Festo S. Martini  
mibi pag. 312. G. Nostra, inquit, (si qua est) humilis justitia recta  
forfi-

forſitan, ſed non pura. Niſi forte meliores nos eſſe credimus, quam  
patres noſtros, qui non minus veraciter, quam humiliter agebant:  
Omnis juſtitia noſtra tanquam pannus menſtruata mulieris. Quo-  
modo, pura juſtitia noſtra, ubi adhuc non poteſt culpa deeſſe. Hinc ſic  
argumentamur: Qui fatetur, juſtitiam noſtram fere nullam  
eſſe, eſſe non puram, eſſe tanquam pannū menſtruata mulieris,  
non eſſe ſine culpa; Is nullo modo ſtatueret & concedere po-  
teſt, hominem juſtificari ſua inſhrente juſtitia: Atqui, ut au-  
divimus, Bernhardus fatetur juſtitiam noſtram eſſe ferè nul-  
lam, eſſe non puram &c. Ergo Bernhardus nullo modo ſta-  
tuere & credere poteſt, hominem juſtificari ſua inſhrente ju-  
ſtitia. Et per conſequens allegatum ejus dictum intelligendum  
eſt ut verba ſonant: recteque noſtram ſententiam confirmat,  
Pontificiorum contra refutat & damnat.

L.I. Pergit Becanus §. 17. ab quartam noſtram obje-  
ctionem: Quarto inquit obijcitur illud 2. Cor. 5. verſ. 21. Eum  
qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos effice-  
remur juſtitia Dei in ipſo. Hinc colligunt adverſarii nos ita juſtos  
eſſe juſtitia Dei, qua eſt in Chriſto: ſicut ipſe dicitur peccatum, id eſt,  
peccator, per peccata, qua ſunt in nobis. At noſtra peccata imputan-  
tur illi; ergo ſimiliter ipſius juſtitia nobis imputatur. Reſpondeo. Hic  
duo explicanda ſunt. Unum, quomodo Chriſtus dicatur factus eſſe  
pro nobis peccatum. Alterum, quomodo nos efficiamur juſtitia Dei in  
Chriſto. Adverſarii ſic interpretantur, quod peccatum noſtrum Chri-  
ſto imputetur, & ab eo vocetur ipſe peccator ſeu peccatum: & ſimili-  
liter, quod juſtitia Chriſti nobis imputetur, & ab eo vocemur nos ju-  
ſti ſeu juſtitia. At non ita eſt. Nam quamvis concedi poſſit pecca-  
tum noſtrum Chriſto imputari, quo ad debitum ſatisfaciendi, quod  
ille ſpontè ſuſcepit, non tamen concedendum eſt, ita illi imputari, ut  
ab eo peccator aut iniquus cenſeri poſſit. Similiter, quamvis verum  
ſit, juſtitiam Chriſti nobis imputari, quo ad ſatisfactionem, quam  
pro nobis preſtitit, falſum tamen eſt, ita nobis imputari, ut ab ea juſti  
& ſancti cenſeamur.

L.II. Primum quod attinet argumentum noſtrum ex alle-  
gato dicto, 2. Cor. 5. v. 21. petitum eſt: Ut Chriſtus à Paulo di-  
ctus peccator, ſive peccatum ipſum, ſic nos ab eodem  
dici-

dicimur justi sive iustitia in conspectu Dei: At imputatione, non inhaesione peccati, factus dicitur Christus peccator sive peccatum: Ergo quoque imputatione non inhaesione iustitiae Dei, nos dicimur justi sive iustitia coram Deo. Major est certa: nam ut constet antithesis Apostoli Pauli: necesse est ita nos esse justos in conspectu Dei, quemadmodum Christus factus dicitur peccator. Uti etiam hanc antithesin urget Chrysostomus in hunc locum: *Qualis sermo, inquit, quae mens ista commendare poterit. Iustum enim inquit facit peccatorem, ut peccatores faceret justos, imò neq; sic dixit, sed, quod multo majus erat: non enim qualitatem posuit, sed substantiam: non dixit peccatorem, sed peccatum: non eum, qui peccavit solum sed & eum, qui neque scivit peccatum: ut nos fiamus, non dixit justi, sed iustitia, & iustitia Dei: Dei enim est ista, quando non ex operibus, quando necessarium est maculam nullam inveniri, sed à gratia iustificatio sit.* Ad majorem hanc nihil respondet Becanus: quemadmodum & nihil ad ejus probationem, quae licet non expressè ponatur, tacitè tamen involvitur. Statim ad Minorem & conclusionem se confert, & quidem in minore concedit; Christo peccatum imputari, ab ipso autem imputato peccato Christum nominari peccatorem sive peccatum, negat. Sed quae est ratio negationis? Sanè nulla. Nam aut dicitur peccator sive peccatum imputatione, qua sunt ei totius mundi peccata imputata & imposita: aut inhaesione: cum tertium non detur: sed non inhaesione: Ergo imputatione, quod etiam probatur ex *Esaiâ cap. 53. v. 6.* Si ergo imputatione; tunc ipsi peccata sunt imputata vel significativè, ut typo: quomodo imputabatur victimis in veteri Testamento, indeq; illae dicebantur peccata; aut realiter, ut antitypo, & victimæ veræ Novi Testamenti, qui est Christus. Si ergo victimæ Veteris Testamenti, propter imputationem typicam, dictæ sunt peccata; ergo multo magis sic dici potest Christus: quippe qui non typus victimæ à Deo pro peccatis nostris destinatae; sed ipsa victima est; quam illae in Veteri Testamento significabant & præfigurabant.

LIII. In quis, dare Becanum tertium, nempe *imputari peccatum nostrum Christo, quoad debitum satisfaciendi: quo non deo nominari*  
D Christus

*Christus possit peccatum.* Respondemus, eo ipso concedere Becanum, imputatum esse peccatum nostrum Christo, quoad reatum ac debitum: Et hoc, nihilq; amplius volumus. At reatus ille est ipsa injustitia relativa, quâ accusamur coram Deo; & injusti renunciamur: Ut ergo ille reatus à nobis ablati est & Christo imputatus, ut sic tolleretur à nobis, propter quod accusamur in justo Dei judicio: sic vicissim obedientia, quæ Christi justitia satisfactoria judicatur vera & sufficiens in conspectu Dei, per fidem nobis in justificatione imputatur: ut sic nos injusti, dicamur justii, quemadmodum ipse justus, est injustus & maledictus.

LIV. Paragrapho 18. Catholicorum, hoc est, Pontificiorum, mentem explicat Becanus, illamq; contra nos probat, & nostram sententiam rejicit his ipsis verbis: *Catholici melius rem explicant. Ac primum ajunt: Christum vocari peccatum duplici sensu. Uno, quia participavit carnem similem carni peccati, juxta illud Rom. 8. v. 10. Deus mittens filium in similitudinem carnis peccati, & Hebr. 2. v. 14. Quia ergo pueri communicarunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit iisdem. Altero, quia factus est hostia pro peccato. Nam hoc sensu accipi interdum nomen peccati, constat ex illo Osee 4. v. 8. Peccata populi mei comedent. Loquitur de sacerdotibus, qui comedebant hostias pro peccato populi oblatas. Christus ergo factus est pro nobis peccatum, id est, assumpsit similitudinem carnis peccati, ut fieret victima pro peccato; quod alius verbis dixit Apostolus. Rom. 8. v. 3. Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. Quasi dicat, ideo Christus venit in carne passibili, ut in carne suâ posset pati, & mori pro nobis, & pro offensa Deo patri satisfacere. Hinc jam facile intelligitur altera pars citati testimonii. Nos enim efficiamur justitia Dei, per similem loquendi modum, quia scilicet accipimus justitiam inherentem, quæ est similitudo quedam, & effectus justitiæ Dei, ut exponit August. in lib. de spiritu & littera cap. 18. At cur dicimur potius justitia quam justii? Nimirum ut servetur Antithesis. Quia enim dixerat Apostolus, Christum factum esse peccatum, id est, assumpsisse similitudinem carnis peccati, ut esset hostia pro peccato; maluit subjungere, nos esse justitiam, quam justos. Neq; hic loquendi modus inusitatus est usitatus est. Nam sicut homines justii solent appellari*

pellari lux; juxta illud *Matth. 5. v. 15. Vos estis lux mundi. Et ad Eph. 5. v. 8. Eratis aliquando tenebrae; nunc autem lux in Domino; ita etiam possunt vocari justitia.*

L.V. Primum melior explicatio ex ipso textu facile eruitur & intelligitur. Verum quidem est, quod peccatum ex idiotismo Hebraeorum interdum vocatur victima; sic nomen *אשחא* *ascham* *Levit. 7. v. 2.* unde etiam plerique Patres hunc locum ita interpretantur, ut sensus ejus sit; *Deum fecisse Christum victimam pro nobis.* Sic Augustinus *tom. 3. in Enchirid. ad Laurent. cap. 41. tom. 7. lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 6. tom. 10. de verbis Domini serm. 48. mihi pagina 183. Ambrosius, Hieronymus in hunc locum &c.* Videtur nihilominus aliquid majus Emphasis & ratio antithesis poscere, ut Christus dicatur factus non victima, sed potius peccatum, ut nos dicimur effici justitia, & quidem in ipso. Est ergo Christus factus peccatum, hoc est, peccator, non in sese, sed in nobis, hoc est, ex omnium nostrorum peccatorum reatu ipsi imputato. Cujus rei figura fuit hircus ille geminus, de quo in *Lev. 16.* & ut Christus factus est peccatum ex reatu nostro imputato, & sic in nobis; sic nos efficimur justitia, non nostra, sed DEI, non in nobis, sed *ἐν αὐτῷ* in ipso Christo.

L.VI. Atque sic hunc locum intelligendum esse disertè docet Augustinus, loco jam allegato in Enchiridio ad Laurentium cap. 41. his verbis: *Ipse ergo peccatum, ut nos justitia: nec nostra sed Dei sumus; nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum: nec in se, sed in nobis constitutum.* Ut sic manifestum sit, argumentum, ut à nobis formatum est, ex ipsa gemina hujus dicti sententia derivatum esse: Nempe quod sic sumus justitia Dei in ipso, ut ille est peccatum in nobis, nempe ex imputatione.

L.VII. Sed retineamus hanc interpretationem, quod peccatum positum sit pro victima, quæ Christus. Quomodo autem fieri potuisset Christus victima pro nobis, si peccata nostra ipsi non fuissent imputata? Victima enim pro nobis, pecca-

rum & maledictum factus esse dicitur, quòd, quamquam ab eo peccatum non sit, gestaverit tamen peccata nostra, & maledictionem: id verò non realiter sed imputativè. Si enim, ut repetamus, quod modo posuimus, victima Veteris Testamenti propter imputationem dicta est peccatum: Ergo multo magis hæc victima Novi Testamenti per imputationem dici potest peccatum. Quandoquidem illa tantum erat typus, hæc verò ipsa veritas est, de qua Esaias vaticinatus dixit cap. 53. v. 6. *Jehova conjecit in illum iniquitates omnium nostrum.* Id verò non factum est per transfusionem; ergo per imputationem: sicque propter imputationem illam, & nullam aliam ob causam, hoc loco dicitur Christus factus peccatum.

LVIII. Nam quod attinet dictum *Rom. 8. v. 3.* quo dicitur *Deus, mittens filium in similitudinem carnis peccati, &c.* nihil illud facit pro adversario. Nam hoc loco nulla planè instituitur comparatio inter Christum & hominem peccatorem; nihilq; hic agitur de justitia sive infusa & inhærente, sive imputata: sed fit comparatio infirmitatis legis, & potentiae divinæ, per Christum efficacis, & reddentis nos liberos à jure peccati & mortis. Ideoq; obtorto collo illud huc torquetur.

LIX. Deinde deceptus est Becanus vulgatâ versione, quæ Græcum *ὁμοίωμα* per similitudinem, quemadmodum Erasmus per speciem & Flacius per simile reddunt, vocabulis sane nimium dilutis. Quandoquidem distinguendum est inter *ὁμοίωμα* & *ὁμοιωτης*. Hæc quidem vox significat similitudinem quæ duntaxat est qualitas operis, ad similitudinem alterius facti, quod non habet eandem essentiam cum eo, cujus similitudinem præ se fert. *ὁμοίωμα* verò non est tantum qualitas rei seu operis; sed est ipsa rei conformitas, vel potius res ipsa, ad similitudinem alterius conformata. Utrita omne quidem *ὁμοίωμα*, in se habeat aliquam *ὁμοιωτητα*; sed non contra *ὁμοιωτης* habeat in se *ὁμοίωμα*: Verbi causa, patris *ὁμοίωμα* est filius, qui, ut filius, non nudè similis dicitur patri, sed conformis: quia habet conformem

formem & specie eandem essentiam cum patre, & est revera homo (non tantum externa species, forma & representatio hominis) ad similitudinem ipsius genitus: ejusdem vero ὁμοιωτης & similitudo est ejus effigies, à pictore expressa, vel à statuario sculpta.

LX. Quando ergo hic dicitur à Paulo, quod Christus à Deo missus sit ἐν ὁμοιωματι in conformitate carnis peccati, non illud de nuda similitudine accipiendum est, ut patrocinetur Marcionitarum, Manichæorum, Docetarum, Schwencfeldianorum & similium hæresi, qui Christum non veram carnem, sed speciem carnis, sive Phantasma corporis assumpsisse somniabant: sed de nobis consubstantiali carne sive essentia, ut omnino & revera hic dicatur missus ἐν ὁμοιωματι σαρκος ἀμαρτίας, propterea quod juxta Epistolam ad Heb. 2. v. 14. quemadmodum pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque confirmiter participes factus sit eorundem, uti Becanus dictum illud non pro se, sed contra se, & pro nostra sententia, hoc loco allegavit. Uti etiam vox hæc usurpatur ad Phil. 2. v. 7. semetipsum inanivit, formâ servî sumptâ ἐν ὁμοιωματι ἀνθρώπων γινόμενον in similitudine hominis constitutus, Erasmus & vulgata; melius Lutherus, ward gleich wie ein ander Mensch. Sensus enim Apostoli est, quod Christus se gesserit in modum ψυλῆ ἀνθρώπων nudi hominis, nudam suam humanam naturam actionibus & passionibus suis conspiciendam ac cognoscendam exhibens, occultatâ sub illa exinanitione deitate unitâ, adeo ut nullum discrimen inter hunc θεὸν ἄνθρωπον, Deum & hominem, & cæteros nudos homines animadversum fuerit.

LXI. Sensus ergo allegati dicti hic est, quod Deus miserit filium suum in eadem essentia carnis, quam habent illi, qui peccatis inquinati sunt, ut rectè in glossa sua Flacius hæc verba: id Deus præstitit misso filio ἐν ὁμοιωματι σαρκος ἀμαρτίας, interpretatus sit: misso incarnato filio. Quod præter ea, quæ dicta sunt, ex ipso contextu est manifestissimum; cum statim addatur finis hujus missionis in conformitate carnis peccati, ut nimirum de

peccato condemnaret peccatum per carnem suam in carne. En quod dixerat modo: ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας id jam interpretatur & dicit ἐν τῇ σαρκί. Sensus enim illorum verborum hic est, ut in carne sive corpore suo oblato damnaret regnum peccati de peccato, sive id perderet, nempe expiando id, & praestando pro nobis veram justitiam legi debitam.

LXII. Quod etiam optimè intellexit Hieronymus, nempe hic non de accidentali, sed essentiali similitudine, hoc est, conformitate & coessentialitate loqui Apostolum, quando hunc locum ita & quidem his ipsis verbis interpretatur: *Dicens in similitudinem carnis peccati, ostendit, eum rectè quidem carnem, sed absq; peccato portasse. Iam hinc similitudo veritatem habet, sicut Adam genuit ad similitudinem suam. Similem ergò cæteris hominibus carnem Dominus Deus noster Jesus Christus assumpsit.*

LXIII. Hæc ergo quia diserta sunt, per se utiq; patet, ut Christus in eo est conformatus carni peccati, quia est caro & sanguis, hoc est, est verus & substantialis homo, perinde ut peccatores veri & essentialis homines sunt, proindeq; hætenus ὁμοίωμα essentialis & verum est inter Deum & peccatores, quo ad essentialiam humanam: sic contra ingens dissimilitudo & difformitas, quatenus Christus natus est, & sic fuit sine omni peccato, cæteri verò homines omnes sunt in peccatis concepti & nati, proindeq; carnem peccato inquinatam habent. Falsum ergo est: Christum dici peccatum propterea; quia participavit carnem similem carni peccati: Quandoquidem hac participatione, ut demonstratum, est peccato non similis, sed dissimilimus. Debuisset ergo Becanus, distinguere, inter ὁμοίωμα σαρκὸς ἀμαρτίας, & inter ὁμοίωμα σαρκὸς simpliciter: illud à Paulo tribuitur Christo & verum est: Hoc non tribuitur Christo, quia falsum est. Si enim ὁμοίωμα ἀμαρτίας esset in Christo, tunc nobis esset similis & non dissimilimus peccato. Quare inquam tantum in eo Christus nobis similis est, quod particeps est carnis & sanguinis nostri: in eo verò dissimilimus, quod caro & sanguis nostra est peccato inquinata. In fenum ergo abit & evanescit phantasma & φαντασία Becani.



LXIV. Sic enim argumentamur: cujus *ὁμοιωσις* similitudo & conformitas in Christo non fuit, per illud nobis peccatoribus similis dici non potest: Atqui *ὁμοιωσις*, similitudo & conformitas peccati inhaerentis in Christo non fuit. Ergo per *ὁμοιωσις* peccati inhaerentis nobis peccatoribus, Christus, ut non similis, sic neque propter similitudinem illam peccatum dici potest. Hinc rursus sic argumentor: Ut nobis Christus conformis & similis dici nequit per peccatum inhaerens, sic neque nos conformes dici possumus Christo per justitiam inhaerentem. Atqui nobis Christus conformis dici nequit per peccatum inhaerens: Ergo neque nos conformes Christo dici possumus per justitiam inhaerentem: Et per consequens, ut Christus non dicitur per inhaerens peccatum peccator, sic neque nos per inhaerentem justitiam justus. *ὁμοιωσις*

LXV. Sed, inquis, alio videtur modo suam sententiam ex hisce dictis urgere Bezanus: Quia Christus sua passione & morte acquisivit justitiam: & sic factus est justitia; Ergo nos efficiamur justitia Dei per similem efficiendi modum, & accipimus justitiam inhaerentem, quae est similitudo quaedam & effectus Dei: Argumentum ergo tale erit: Ut Christus dicitur justitia Dei, sic nos dicimur simili plane modo justitia Dei: Atqui Christus justè agendo sibi acquisivit justitiam: Ergo & nos justè agendo acquirere debemus justitiam, & sic justitia Dei effectivè appellari, quia nimirum justitiam illam Deus effectivè in nobis per nos producat.

LXVI. Sed quae (malum!) hæc logica & argumentatio est? Ubi in his dictis confertur nostra justitia cum Christi justitia: vel etiam Christi justitiæ acquisitio cum nostra justificatione. Sanè id neque fit in dicto Rom 8. v. 3. neque in 2. Cor. 5. v. 21. Nam in hoc confertur, non Christi justitia acquisita, cum nostra, quæ justitia Dei dicimur: sed potius imputatio nostræ injustitiæ ac peccati, cum justitia, quæ nos justus dicimur. At imputatio peccati non est ipsa justitia Christi acquisita, vel etiam ipsa justitiæ acquisitio; sed potius est ipsa condemnatio propter nostra peccata. Acquisitio verò in eo consistit, quod  
Chri-

Christus portans peccata nostra imputata legi Dei: obedivit, & pro illis satisfecit, nec non sua morte & passione justitiæ divinæ satisfaciens *λύτρον* persolvit, & sic per omnia satisfecit. Atque hoc est immotum fundamentum nostræ argumentationis, à simili modo inessendi peccati nostri in Christo, & justitiæ Christi in nobis, quòd ille nullus alius esse possit quam imputatio, & nequaquam similitudo, quippe quæ expressè cum hoc loco pugnat. Non etiam talis collatio instituitur *Rom. 8. v. 3.* Quandoquidem ibi dumtaxat redditur ratio, cur filius Dei assumpserit naturam coessentiali naturæ humanæ nostræ, peccatis obnoxia; nempe ut sic in carne & natura nostra peccatum in nobis hærens damnaret sive perderet, id expiando.

LXVII. Sed, inquis, forsan consequentia Becani sequitur ex collatione istorum duorum locorum. Respondemus: in dicto *Rom. 8. v. 3.* de nulla agitur similitudine; quippe de qua dumtaxat dicitur *2. Cor. 5. v. 21.* Verùm ibi, ut demonstratum est, nihil docetur de similitudine vel peccati vel justitiæ, sed de similitudine essentiali, & carnis. Quæ autem est consequentia: Christus venit in similitudine carnis peccati, hoc est, in assumpta nostra coessentiali humana natura, & in illa satisfecit pro peccatis nostris: Ergo ut ille satisfecit pro nostris peccatis: sic & nos pro peccatis nostris satisfacere debemus; vel ut ipse in hærentem acquisivit justitiã, per quam forsan justus dictus est; sic nos quoque debemus in hærentem acquirere justitiã, ut justii dicamur coram Deo.

LXIIIX. Quis non intelligit argumentationem multis modis vitiosam esse. I. Primum enim nullum habet fundamentum in allegatis dictis, sive seorsim sive conjunctim sive in collatione ad se invicem consideratis, quippe quibus potius destruitur, ut ejus gratia frustra dicta illa allegentur. 2. Nulla omnino est consequentia: Christus satisfecit pro peccatis nostris: Ergo & nos adjuti Spiritu sancto satisfaciamus pro peccatis nostris. Nam quia satisfactio illa perfectè à Christo est præstita, nostrã opus non est. Quid? quod Christus pro nobis satis-

satisfecit legi, quia nos illi satisfacere *ad vultu* erat. 3. Christus quidem acquisivit justitiam sua obedientia; sed non sibi, sed nobis: non ergo propter illam justitiam dicitur ipse justus, quippe qui præter hanc justus est, partim justitiâ Dei, partim humanæ naturæ naturali justitiâ. Ut enim ab æterno infinita justitia præditus, & à patre genitus: sic in tempore sine peccato in justitia conceptus & natus est à Mariâ virgine. Acquisita ergò justitiâ non ipse voluit justus denominari; sed ut nos eâ justî denominaremur per veram ejus imputationem, ideo eam acquisivit. Hoc ergo quia verum & certum est per universam scripturam: nulla est consequentia: Christus acquisivit justitiam: Ergo nos debemus etiam justificari & justî pronunciarî per justitiam inhærentem: sed potius contrarium infertur: Christus acquisivit nobis justitiam; ergò per illam imputatam, & non per justitiam inhærentem, & de novo in nobis efficaciter productam, debemus justificari & justî constitui in conspectu Dei.

LXIX. *Augustinus libr. de Spiritu & lit. cap. 18.* non dicit, nostram justitiam esse similitudinem quandam & effectum justitiæ Dei: sed hæc sunt ejus verba: *Et post pauca intulit, ut nos simus justitia Dei in ipso. Hæc est illa justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos ab eo facti, (scilicet justî) Quo sanè non dicit justitiam, qua nos justificamur esse similitudinem & effectum justitiæ Dei in nobis (nam quomodo tunc essemus justitia Dei in Deo?) Sed id dumtaxat negat, quod nos modo negavimus, justitiam illam, quâ nos sumus justitia Dei in Deo, esse justitiam, quâ ipse justus est, sed addit illam esse, qua nos ab eo facti sumus justî. Sed quæritur rursus, quæ sit autem illa justitia? Id non hic explicat Augustinus, sed loco antea allegato *in Enchirid. ad Laurent. cap. 41.* nempe quod nos simus ita justitia, ut ipse peccatum, & ut ipse peccatum non suum sed nostrum, sic etiam nos simus justitia non nostra sed Christi.*

LXX. Cæterùm fatemur, Augustinum quoque interdum ita loqui, & Apostoli verba explicare: Christum factum esse peccatum, id est, *assumpsisse similitudinem carnis peccati, ut esset hostia pro peccato*, respicientem ad locum Rom. 8. v. 3. imo etiam ponere nonnullis in locis fundamenta hujus denominationis in illa ipsa similitudine, ut tom. 3. in Enchiridio ad Laurent. cap. 41. *propter similitudinem carnis peccati, in quâ venerat, dictus est & ipse peccatum*. Quod verò probare non possumus, ut ex præcedentibus patet. Atqui verò haud dubiè nunquam hoc Augustinus dixisset aut scripsisset, si Græca rectè intellexisset. Longè aliter sentit Hieronimus, quia Græca rectius inspexit & intellexit, ut ejus verba paulo ante allegavimus. Quæ addit Becanus de permutatione abstracti & concreti, nullius sunt momenti, & nihil faciunt ad propositum.

LXXI. Quinta obje&io à Becano §. 19. allata desumitur ex dicto ad Ephes. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus sit in justitia & sanctitate*. Respondet Becanus dictum hoc loqui de interna renovatione per justitiam inherentem. Quid si concederemus? quid verò proderit causæ Becani? Nihil omninò. Nam renovationem fieri per inherentes virtutes, nunquam negavimus. Eam verò ipsam justificationem esse, quâ justii coram Deo reputemur & constituamur, ut hætenus, sic jam nunc constanter pernegamus. De exemplo Jacobi, per similitudinem hîc adducto, disputatione septima egimus, & nostram sententiam exposuimus; Quæ ibi videatur.

ἄλλοτε τὸ θεῶ ἐς τὰς αἰῶνας δόξαν

*Ad Præstantiss. & Doctiss. Dn.*

*R E S P O N D E N T.*

**J**Ova malis cunctis te mango Lojola perdat!  
Teque, tuumq; pecus calvastrò vertice fratres:  
Fumiferasq; gulas, puto, funigerosq; lupercos:  
Mancipia autolici, tua Præsul asote, trifaucis,  
Qui tibi tergemina gaudes gestare tiaram!  
Vosq; cucullatos, lituove mitrave superbos  
Atque poli petasatos Pontificalis Atlantes,  
Vosvos purpurei puncta ò duodena senatus!  
Vosq; patremq; simul vostrum, minimumq; Petrinum  
Mentitumq; vicem Christi: & quod habetis agyras!  
Christum qui verò triferi privatis honore:  
Cuiq; suum audacter regnum extorquetis, in orbe  
Quod tenet, atque sua preciosâ morte redemit:  
Ipse isthoc verbò fundat, regit, atque propagat:  
Regno cælesti cælestis præsul' adesto:  
Non alius! caput unius sit corporis unum!  
Qui fontes sacros turbatis dogmate truncò,  
Atque Ecclesiolam premitis, quicunq; potestis:  
Quos Deus ex illa elegit, damnatis ad orcum:  
Et quos justificat, vos conspurcatis, & omnem  
Tollitis in verbo spem: nugamenta supersunt  
Unica: justitiâ Christi salvarier unâ.  
Omnes, salvantur quotquot, scriptura revelat.  
Hoc tu mango negas: habitusq; infundis inanes,  
Queis miseros fieri justos tricaris ineptè.  
Justitiam Christi, fidei quam mira capessit.

Virtus

Virtus, & cunctis credentibus applicat unam,  
Funditus evertis, miras regerisq; sophorum  
Justitias: queis promeritum conscendis Olympum.  
Heic nil Stoa potest, heic centum spernit Athenas  
Vera fides: aliud monstrasti Paule Lycæum  
Qualis justitia est, talem sperate salutem.  
Justitia è cœlo descendit verior: illuc  
Non humana suis poterat contendere nervis:  
Vostra sed efficitis vult isthuc scandere palmis.  
Ito bonis avibus, Jesuita volubilis, ito!  
His alis per nos ad cœli tecta voletis,  
Qui Herculei clavi non ferramenta timetis!  
Illa fides illud cœlum petit atque salutem!  
Esto! salutabis gentileis promptus Athenas:  
Te perdat vindex Deus & tibi munera solvat,  
Quæ meruit dudum tam magni audacia facti:  
Sed tu RUDENI, figmenta hæc calva revelle!  
Maestè! Dei verbò deliramenta labascunt:  
Ipse Deus proprium præsens defendet honorem.

*Hæc ad Faust. ac Amicum suum longè  
chariss. avtozed.*

M. GEORG. GROSSHAIN.



99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092




SB

Repro

VD 77









B.I.G.

Farbkarte #13

24  
I SECUNDI  
n Confessionem

ATIO IX.

tinens

ARTICULI IV.

STITIA

ATIVA.

*osita*

cademiâ VVittebergenſi,

SIDE

ARTINI, SS. Th.

rimario, Facult. Theol.

npli Arcis Præposito:

ONDENTE

NE RÜDENIO

Sia-Saxone.

ditorio Collegii Veteris

m 17. Septembr.

EBERGÆ,

OMONIS AVERBACH,

M DC XXIX.

